18

FAVENTE
SUPREMO LEGUMLATORE CHRISTO,
ANNUENTE
NOBILISSIMO JURIS-CONSULTORUM ORDINE,
PRÆSIDENTE
Viro Ampliſſimo, Juris Conſultiſſimo,
Excellentiſſimoq;

DN. GOTTFRIDO SUEVO,

J. U. D. Profeſſore Publico Celeberrimo, Curiæ Electoralis, Scabinatûs, & Facultatis Juridicæ Aſſeſſore Graviſſimo, Præceptore atq; Patrono æternô venerationis Cultu proſeqvendo,

DELICTA PRIVATA

DISPUTATIONE PUBLICA
Placidæ Eruditiorum disqviſitioni
ſiſtit
PAULUS NEANDER
Uratislavienſis.
In Auditorio JurisConſultorum
ad Diem XVI. Februarij

WITTEBERGÆ,
TYPIS JOBI WILHELMI FINCELII,
ANNO cIↄ Iↄc L.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

16. Se

CUM DEO!

OMnis Obligatio Juris vinculum eſt, *pr. Inſt. de Oblig.* oriturq; vel ex Contractibus, vel ex Delictis. Horum alia Jure Civili prohibita ſunt, alia Naturali; eoq; tàm merô, qvam approbato. Undè nec uniformis omnium naſcitur Obligatio. Qvæ ex Jure Naturæ merô provenit Obligatio, poteſtate qvâdam coactivâ non eſt armata; armata tamen, qvæ ex approbato. Delictum verò, unde talis Obligatio reſultat, eſt Factum, qvô qvis contra Jus offenditur. Offenditur autem vel Reſpublica, vel privatus aliqvis principaliter in illâ Republicâ: Nunqvam enim abeſt, qvin læsô privatô, per conſeqventiam Status qvoq; lædatur publicus: & contra. Hinc Delictorum in publica & privata diſtinctio. Publica ſunt, qvæ Legibus publicorum Judiciorum comprehenſa, ab unoqvoq; è Populô deferri poſſunt, & ex iisdem Legibus certam pœnam acceperunt. *l. 1. ff. de publ. Jud.* Privata, ex qvibus is tantùm agere poteſt, ad qvem ea res pertinet, ſeu cujus intereſt. Suntq; qvatuor vera & ordinaria: Qvorum tàm Definitionem & Diviſionem, qvàm Cauſſas & Effecta ſeu Pœnas Theſibus aliqvot, tenui filô & Stylô conſcriptis, impræſentiarum conſiderabimus. Cui operæ, ope divini Numinis imploratâ, nos accingimus; Veniam, ſi qvid humanitus acciderit, nobis impertitum iri confidentes.

POSITIO I.

FURTUM eſt Contrectatio fraudulоſa, lucri faciendi gratiâ vel ipſius Rei, vel etiam Uſûs ejus poſſeſſionisve, qvod Lege naturali prohibitum eſt admittere.

Cum è re ſit, anteqvam ad rei perveniamus interpretationem, pauca de ſignificatione vocis referre, *l. 1. ff. de Reb. cred.* exiſtimamus à *ferendo* commodè Furtum derivari: utut cœteras Derivationes penitùs non aſpernemur, *§. 2. Inſt. de Obl. qvæ ex del. naſc. Subſtantialia*, ut vocant, hujus Delicti ſunt: ut qvis Rem contrectet, & localiter tàm ipſo Actu, qvàm ex voluntate amoveat; & vel totius Rei, vel, cum rei non poſſit, Uſûs ſaltem & poſſesſionis lucrum faciat; eâq; re, qvâ uti, vel ex naturâ ejusdem, vel ex conventione abſolutè & indiſtinctè, vel ſecundum qvid & certô modô prohibetur, vel utatur, vel Uſum excedat: ita tamen, ut hanc contrectationem concomitetur dolus malus, & ubiq; animus lucri faciendi accedat. *Frantzk. Exerc. 12. q. 2.* Qvæ omnia ſi concurrant, tunc verè Furtum committitur, non Civili tantùm, ſed & *Naturali Jure* prohibitum; Siqvidem Naturâ æqvum, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, *l. 14. ff. de Cond. ind.* Impunita Populi qvidam reliqvêre Furta, ut Ingenia Juvenum acuerentur. Aut dicendum, hujus vel iſtius Populi corruptis moribus rectam Rationem vel Jus Naturæ non eſſe metiendum. *Ungepaur Exerc. 13. q. 1. in ajo.*

POSITIO II.

Manifeſtum Furtum eſt, qvando Fur vel deprehenditur in ipſo factô, vel videtur cum acclamatione, aut deprehenditur, anteqvam eò loci pertulerit, qvò deſtinaverat.

Qvid nec-manifeſtum ſit, facili negotiô ex dictis colligere eſt, *§. 3. J. h. t.* cum cognitô unô contrariorum, cognoſcatur & alterum. Diſtinctionem hanc non magni ponderis eſſe, fruſtrà qvidam exiſtimant, cum Carolina Nemeſis *Art. 157. & 158.* claris verbis etiam qvoad pœnam diſtingvat unter öffentlichen und heimlichen Diebſtahl. *Inqviſitionem verò Rei furtivæ in alienis ædibus improbamus,*

mus, ne hôc prætextu omnium curioſitati inſerviant ædes noſtræ, qvæ tutum nobis & liberum præbere debent domicilium, *l. 18. ff. de in Jus voc.* Durum namq; eſt atq; inhumanum, rei familiaris detegi vilitatem, vel divitias invidiæ ſubjicere, *l. 2. in pr. C. qvand. & qv. qvart.* niſi Suſpicio & urgentisſima indicia aliud ſvâdeant. *Schneidew. ad* §. *4. J. h. T. n. 2.* Conſentit Weichbild / *Art. 90. ibi:* Vnd wird die Dieberey darinnen geſucht &c. Ratione adjuncti temporis Furtum aliud eſt *nocturnum*, aliud *diurnum. l. 4.* §. *1. ff. ad L. Aqv.* Eurem noctu Paterfamilias ſi deprehendat, nec proclamando avertere poſſit, impunè occidit; diurnum non aliter, qvàm ſi telò ſe defendat, *d. l. Schneid. ad* §. *2. Inſt. ad. L. Aq.* Eſt *& domeſticum* Furtum, qvod à Perſonis domeſticis committitur: *de qvô Weſenbec. in Parat. de Furt. num. 8.*

POSITIO III.

Qvi Affectum furandi fraudulosum habet, Furtum committit.

Furioſi igitur, cum ſuæ mentis non ſint, *l. 5.* §. *2. ff. ad L. Aqv.* & *Impubes* Infantiæ proximus, §. *18. J. h. T.* Subjectum Furti eſſe non poſſunt. *Major* tamen *infante* Fur pœnis Legum coërcendus, *d.* §. *18.* non tamen ordinariis; Etſi enim impunitas delicti propter ætatem non detur, *l. 7. C. de Pœn.* minuenda tamen pœna, illius conſideratione, *l. 16.* §. *3. ff. de Pœn.* Qvia ſine Dolo & animo furandi Furtum non committitur, *l. 37. ff. de Uſurp. & Uſuc.* ideò ſi qvis non dolô, ſed qvod putaret Dominum conſentire, rem alienam contrectaverit, Furti non tenetur, §. *7. I. h. T.* immò, etſi arbitretur, invitô Dominô ſe rem contrectare, volente autem ſiat, non tenetur, §. *8. ib.* Qvis enim voluntatem Domini habens Fur dici poteſt? *l. 48.* §. *2. ff. de Furt.* Qvi *Fame compulſus edulia ſubtrahit*, cum omni fraude non careat, à Furti Crimine non excuſatur, ſed ſaltem à Pœnâ Furti ordina-

riâ liberatur, *c.3. X. de Furt. Riemer. Dec. 12. qv. 4.* Licet de Jure Civili Jumenta ſibi commodata longius abducens Furti conveniri poſſit, §. *6. J. h. T.* ſecus tamen de Jure Saxonicô, qvô ad intereſſe ſaltem obligatur, *per Text.* Land-Recht *Libr.3. Art.22. in pr.* Hinc Studioſus, qvi ultra conductionis Tēpus eqvum retinuit, Furtum non commiſiſſe dicendus eſt, cum pro eodem pretiô eundem reconduxiſſe videatur, Dominumq; conſenſurum exiſtimaſſe præſumatur. *Schneid. ad §. 7. J. h. T.*

POSITIO IV.

Rerum alienarum, corporalium & mobilium propriè Furtum fit.

Qvod probat *l.65. l.75. l.25. ff. de Furt.* Rei noſtræ licet Furtum facere neqveamus, Dominus tamen rei oppignoratæ Furtum facit, *l.19. §.6. ff. h. T.* Qvam Exceptionem autumant nonnulli, ſed malè; in re enim oppignoratâ duo ſunt: *Res*, qvæ manet debitoris, & *Pignoris Jus*, qvod Creditori conſtitutum, & ſic alienum eſt reſpectu debitoris. *Vultej. ad §. 1. J. h. T. n.19.* Etiam *Res minima* Furti materia eſt, *§.16. Inſt. de R. D.* cum Furtum non ex rei ſubtractæ qvantitate, ſed ex animô ſurripientis æſtimandum ſit, *l.37. ff. Uſurp.* ne ita pauperibus Juſtitiæ adyta occludantur, qvibus unus numus pretioſior, qvam divitibus centum. *Arum. Ex.17. q.5.*

POSITIO V.

Furtum fit non ſolùm per plenam & perfectam ablationem, aut per ipſius furantis Perſonam; ſed & ſine ullâ averſione, & cum alius amoverit.

Evenit hoc in *Furis Rerumq; furtivarum Receptatoribus*, qvi eâdem pœnâ, qvâ principalis, afficiendi, *l. 14. C. de Furt.* itemq; illis, *qvi ope & Conſilio* Furtum facienti præſtò fuerunt, *§.11. J. h. t.* necnon, qvi *Conſilium tantum vel opem* ſcientes tulerunt, ſi ſubſecuta ſit Contrectatio, *l.51. §. 19. ff. de Furt.* Cum prædictis concordat Jus Saxon.

LandR.

Land R.: *lib. 2. Art. 13. verſ.* Wer Diebe hauſet/ oder Raub hählet/ oder einen mit Hülffe dazu ſtärcket; Vid. *Frantzk. Exerc. 12. q. 5.*

POSITIO VI.

Sine Lucri faciendi intentione Furtum non committitur.

Hinc, qvi Vexationis, Laſciviæ vel Injuriæ causâ rem contrectat alienam & aufert, Furti Crimen non incurrit, *l. 39. ff. de Furt.* Nam maleficia propoſitum & voluntas delinqventis diſtingvit, *l. 53. ff. b. t.* Qvi verò eum in finem aliqvid *ſurripit, ut alteri donet*, vel Deo pauperibusq; largiatur, fur nihilominus erit dicendus: Nec movere debet, qvaſi nihil lucri ſui gratiâ faciat: Species enim lucri eſt, ex alienô largiri, *l. 54. §. 1. ff. de Furt.*

POSITIO VII.

Odio Furum eſt receptum, ut pluribus Actionibus effectualiter teneantur: qvæ tàm Rei perſecutoriæ, qvàm pœnales.

Actio Furti datur ei, cujus intereſt rem non perire, licet Dominus non ſit, *§. 13. J. b. T.* Non tamen furi regulariter, cum ex improbitate ſuâ Actionem conſeqvi non debeat, per *l. 12. §. 1. ff. de Furt.* exceptô caſu, qvi in *l. 48. §. 4. D. eod. eſt.* Experimur autē ob Furti Crimē Actione non unâ. Præparatoria Rei vindicationis eſt, qvæ vocatur *ad exhibendum, l. 1. ff. ad exhib.* Seqvitur ipſa *Rei vindicatio*, qvâ ad rem furtivam recuperandam agimus adverſus qvemvis poſſeſſorem, *§. fin. J. b. Tit.* & *Condictio furtiva*, qvâ rem ipſam cum omni intereſſe perſeqvimur, *l. 3. ff. Cond. furt.* competens ſoli Domino, *l. 1. ff. eod.* contra ipſum furem, & ejus heredes, *§. fin. I. b. T. Arumæus Exerc. 17. Th. 9.* Prætereà, Furti Actione agimus vel civiliter, vel criminaliter. *Civiliter*, ad applicandam Parti Pœnam pecuniariam; *qvadrupli*, ſi Furtum ſit

mani-

manifeſtum ;dupli, ſi nec manifeſtum, §. 5. *I. h. T.* Rationem diverſitatis tradit *Vultej. ad* §. 1. *Inſt. h. T. n. 53. Criminaliter* Actione Furti experimur ad Pœnam arbitrariam, *l. fin. ff. de Furt.* qvæ tamen ad mortem non extendenda. *Auth. Sed novo jure, C. de Serv. fugit.* Et hæc de Jure Civili. Hodiernis Moribus ultimum *Suſpendii Supplicium* in Fures eſt conſtitutum, Conſtitutione Friderici, §. *fin. 2. Feud. 27.* & criminali Caroli V. *Imp. Art. 157.* per qvam Furti Judicium effectum eſſe publicum opinantur nonnulli: à qvibus tamen alii jure diſſentiunt, hâc ratione moti, qvod Conſtitutione illâ Carolinâ publicum eſſe ſpecialiter non jubeatur, ac proindè veteri Juſtinianeo Jure inter privata relinqvi debeat. *l. præcipimus inf. C. de Appell. Harpr. hîc, n. 37.* Non tamen indiſtinctè qvodlibet Furtum hâc Pœnâ coërcetur: Aliud enim *violentum*, qvod citra ullum diſcrimen Strangulatione punitur, *Ord. Crimin. Art. 159.* aliud *non violentum*; & vel *ſimplex* vel *iteratum*. Utrumq; ſi valorem qvinq; ſolidorum excedat, (über fünffe der beſten Ungeriſchen Gülden werth) laqveo; ſin minus, virgarum cæſione & relegatione punitur. Plures Pœnæ pro qvalitate & qvantitate Furti differentias videre eſt apud *Conſultiſſ. Dn. Præſid. Vel. 15. Th. 4. l. c.* Qvid Juris ſtatuendum, ſi plures in uno Furto concurrant, *vid.* Schultz *in Syn. Inſt. h. T. Lit. c.* Et hanc Suſpendii Pœnam rationi ſatis convenientem putamus, cum modum pœnæ ſanciat Legiſlator civilis, *l. 6. ff. de I. & J.* Etſi enim Lex Naturæ Furem malum dictitet, modum tamen, qvô puniendus, non expreſſit, ideoq; Civili Jure addi debuit. *Auth. ſed novò Jure, C. de Serv. fug.* Cum verò noviſſimis Temporibus delicti hujus copia nimis excreſceret, pœna qvoq; creſcere debuit, & in capitalem mutanda, cum aliter delictum hoc non poſſet coërceri. Nec eſt, qvod gravior hæc pœna videatnr eò, qvod Vitam pro ære reddere delin-

qvens

qvens cogatur: non enim tàm res qvæ violatur, qvam qvalitas delicti ſalutem communem peſſimè violantis attenditur: Fures qvippè non minus ſocietatem civilem lædunt, qvam homicidæ vel adulteri, qvi capite plectuntur. *Weſenb.* n.*h.T. in fin. Sutbolt Diſſert. 16.§.40.* Qvod ſi *Fur pœnitentiâ ductus* ſponte rem furtò ſubtractam reſtituat, ab ordinariâ pœnâ liberatur, *arg. l. 5. pr. ff. de re mil. Neutiqvam* verò *Puellæ*, in matrimonium petenti eundem, *concedendus*; cum maleficia non impunita eſſe oporteat, *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aqvil.* Nec diverſa ratio ſubeſt, ſi Meretrici, cur non & Uxori hoc Jus eſſet tribuendum: qvod tamen nemo permittit. *Coler. Decis. 238. n. 3.* Neq; *Fur, ruptô laqveô, in terram decidens* dimittendus, ne Sententia ſuô careat effectu, qvæ voluit, **Daß er mit dem Strang oder Ketten vom Leben zum Tode gerichtet werde.** Catenis itaq; utendum, ſi onus adpenſum infirmitate funis ſuſtineri neqveat. Fur ita ſuſpenſus ante Solis occaſum *terræ mandari non ſolet*, immò plerumq; in furcâ relinqvitur, qvô conſpectu ejus deterreantur alii ab iisdem facinoribus, *l. 28. §. pen. ff. de Pœn.* & corpora punitorum non aliter ſepeliuntur, qvàm ſi fuerit impetratum, *l. 1. ff. de Cadav. Ungep. Ex. 13. Q. 4.* Sed nùm Medicis à Magiſtratu cadavera punitorum *Anatomiæ* cauſsâ ſint concedenda, ambigitur. Dicendum putamus, qvod ſic. Cum enim Medici ſalutis hominum curam agant, *l. 1. §. 1. ff. de extraord. Cognit.* & ſi qvid per Imperitiam committitur, ipſis imputetur, *§. 7. I. de L. Aqvil.* neceſſe eſt, in curandò corpore humano ſingulos Affectûs, eorumq; Cauſſas ac ſedes penitius perveſtigent: qvod vix præſtabunt absq; Anatomiæ ope. Deindè, ſi qvadam contumeliâ affici cadavera videantur, fit illud Reipublicæ venerandæ & publicæ utilitatis cauſsâ. *l. 33. ff. de Inj.* Immò, nullus honor hujuſcemodi

ſcemodi cadaveribus debetur, cum ſint ſervi Pœnæ, & aliàs in Rotâ vel Furcâ, Senecæ dictô, in Sepulturam ſuam defluant. Judex tamen Familiæ vel dignitatis rationem habeat, anteqvam Sectioni annuat.

POSITIO VIII.

Rapina eſt Contrectatio Rei fraudulosa & violenta.

Qvis enim magis alienam rem, invitô Dominô, contrectat, qvàm qvi vi rapit? *pr. I. de vi bon. rapt.* Unde Fur improbior, *d. l.* & qvalificatus Doctoribus dicitur. Generalius qvidem Furti appellatione continetur Rapina, *l. 2. §. 10. ff. h. T.* à Furtô tamen Specie differt, qvia ſingularem de eâ Actionem Prætor conceſſit in *l. 2. pr. ff. de vi bon. rapt. Weſenb. in Par. h. T.*

POSITIO IX.

Qvi dolô malô vim ad res auferendas adhibet, in hoc Crimen incidit.

Proindè, qvi errore aliqvô ductus Rem ſuam eſſe exiſtimans, & imprudens Juris eô animô rapuerit, qvaſi licitum ſit Domino, etiam per vim, rem ſuam auferre â poſſeſſoribus, ab hôc Júdició abſolvi debet, §. *1. I. h. T.* Sed, ne Raptoribus impune avaritiam ſuam exercendi aperiretur feneſtra, Divalibus Conſtitutionibus proſpectum eſt, ut nemini liceat vi Rem rapere vel *ſuam* vel *alienam*, qvam putat eſſe ſuam. Priori Caſu rapiens Dominiô Rei cadit; poſteriori, Rem ei, cui rapuit, unà cum æſtimatione ejusdem Rei reſtituere tenetur. *l. 7. C. unde vi.* Patet hinc, absq; vi Rapinam non committi, qvippè qvâ â Furti Crimine ſecernitur. Illius qvatuor Autores tradunt Species: eſt enim *Vis ſeu Violentia*, vel *compulſiva*, cum qvis per vim & Metum ad tradendum vel faciendum qvid compellitur; vel *turbativa*, cum in poſſeſſione qvis turbatur;

vel *expulſiva*, cum fundô vel ædibus ejicitur; vel *ablativa*, cum per vim res aliqva aufertur. *Harprecht ad pr. I. h. T. n. 8.* Paſſus verò violentiam, hanc præprimis, æſtimat valorem Rei ablatæ: qvô factô, Raptor ad qvantitatam illam condemnatur, niſi mediante Juramentô Minorationis, ut vocant, taxationem factam minuat. *Coler. Proc. Exec. Præfat. n. 14.*

POSITIO X.

Circa Rem alienam, mobilem, minimam, profanam; non itidem Perſonas, occupatum eſt hoc Delictum.

Sicut Furtum tantùm eſt Rerum mobilium, etiam minimarum, ſic & Rapina. §. *1. I. h. T.* Res Soli non rapi, ſed *invadi* dicuntur. *Vultej. hic n. 5.* Qvæ circa Res Eccleſiaſticas committitur Rapina, *Sacrilegium* intimatur. Excludimus verò Perſonas, qvia illarum *Raptus* eſt, qvi inter publica Judicia refertur. *l. un. C. de Rapt. Virg.* Cujus intuitu, extra Circulos evagantes, adſerimus, qvod & *Fœmina Maſculum rapiens* eâdem, qvâ iſte, ſi illam rapiat, pœnâ conveniri poſſit, *arg. l. 62. ff. de Leg. 3.* Si enim in fœminis adjutricibus locum id habet, ut habet *d. l. un.* qvantò magis in auctricibus. *Riem. Dec. ult. Q. 7.*

POSITIO. XI.

Hoc propoſitum & intentio Raptoris, ut raptis potiatur.

Licet eô fine ſemper invigilet rapax, ut avaras & inſtabiles ad res aliorum porrigat Manûs; cupitis tamen non ſemper Actu potitur. Hinc fit, ut *Juramentum* qvandoq; ipſi præſtetur, qvô promittitur qvod petit iniqvus exactor. Qvod, an ſervandum ſit, Autores inter ſe non conveniunt. Qvamvis autem inficias ire non poſſimus, melius illum Conſcientiæ ſuæ conſulere, qvi tale Juramen-

tum (modò non ſit contra bonos Mores, vel cum diſpendio æternæ Salutis conjunctum:) non negligit: ipſum tamen Jure ad id obſtringi negamus, cum ab initio ſtatim tale Juramentum ſit inefficax, & nullius momenti. *Auth. Sacramenta puberum, C. ſi adv. Vend.* De Jure Canonum ad impediendum illius effectum, abſolutio impetranda *c. ſi vero 8. X. de Jurej.*

POSITIO XII.

Agimus ex Rapinà vel civiliter, Actione Furti tàm manifeſti, qvàm nec-manifeſti, & Actione vi Bonorum raptorum; vel criminaliter ad Pœnam Legis Juliæ de vi privata, vel publicâ.

Expediti Juris eſt, eum, qvi Rem rapuit, Furti nec-manifeſti in duplum teneri, *l. 1. ff. de vi bon. rapt.* Idem qvoq; de Actione Furti manifeſti dicendum exiſtimamus, modò raptor deprehendatur in ipsô delictô, & præſentibus Teſtibus convincatur. Aſſertionem noſtram fulcimus generalitate, *l. 2. §. pen. ff. h. T.* & *l. 80. §. 3. ff. de Furt.* in qvâ Raptor expreſsè manifeſtus Fur dicitur. Ut verò flagrantem Raptoris odiô animum declararet Prætor, propriam hujus Delicti nomine Actionem introduxit, qvæ *vi Bonorum raptorum* appellatur. Qvod Juris remedium competit contra Raptorem intra Annum in qvadruplum; poſt Annum in ſimplum. Qvadruplum verò illud non totum Pœna eſt, ut in Actione Furti manifeſti, ſed & Rei perſecutionem continet, *§. 19. I. de Act.* Minimè tamen exindè ſeqvitur, Raptorem melioris eſſe Conditionis ipſô Fure, cum ridiculum id dicat Imperator *pr. I. h. T.* In eô enim *deterior Raptoris pœna*, qvod indiſtinctè, ſive deprehenſus fuerit ſive non, Tripli pœnâ teneatur, *d. pr. I.* Fur, ſi non deprehendatur, tantùm dupli. *§. 5. I. de Obl. qvæ ex del.* Immò, qvadrupli Raptor tenetur, ſi Furti manifeſti Actio-

ne

ne conveniatur. Tantum igitur abeſt, ut mitior Raptoris cauſſa ſit, qvam Furis, ut potius gravior, cum præter dictas Actiones etiam *Criminaliter* ex Lege Juliâ de vi publicâ & privatâ accuſari poſſit. §. *8. I. de publ. Jud.* De hodiernâ Conſvetudine Raptores ultimô Suppliciô afficiuntur. Et illi qvidem, qvi cum interfectione in Strata publica furantur, Latrones publici dicti, Rotâ concutiuntur, & in his locis, ubi graſſati ſunt, eriguntur, per Text. LandR. *Lib. 2. Art. 13. ibi:* Alle Mörder etc. ſoll man radebrechen. Qvi verò absq; interfectione rapiunt, prius Capite plectuntur, ex *Conſt. Crim. Caroli V. Art. 126.* ac deindè demum illorum Corpora Rotæ imponuntur: Schultz *in Syn I. h. T. Lit. a.*

POSITIO XIII.

Damnum Injuria Datum eſt, qvô Dolô vel Culpâ Res alicujus læduntur.

Qvamvis Lex Aqvilia ab Aqvilio Tribunô Plebis rogata ſit, & ita non Lex, ſed Plebiſcitum ſit, *l. 1. ff. ad L. Aqv.* ab effectu tamen rectè Lex vocatur, §. *4. I. de I. N. G. & C.* Damni vox æqvivoca: in genere qvamvis Patrimonii imminutionem ſignificat; in Specie Corruptionem & læſionem Rei noſtræ, dolo vel Culpâ alterius factam, *l. 31. ff. de Furt.* & ita opponitur Furto & Rapinæ qvæ fiunt amotione. *Schneid, ad pr. h. T. n. 5.* Cum damnum Injuriâ dari dicitur, excluditur damnum Caſu fortuitô datum, §. *3. I. h. T.* item, qvod qvis dedit Jure permittente: ut, ſi qvis Corporis ſui tuendi gratia aliqvem vulnerat aut occidit; item, ſi Magiſtratus Juris exeqvendi cauſſa aliqvem damnô affecit, non egreſſus Officii ſui fines. *l. 29. §. 7. ff. ad L. Aqv.*

POSITIO XIV.

Culpam Lex Aqvilia principaliter reſpicit: Dolô tamen dans damnum, æqvè tenetur.

Dolus malus eſt machinatio qvædam ad circumveniendum alterum adhibita, *l. 1. §. 2. ff. de dolo mal.* *Culpa* eſt negligentia qvædam, qvæ Jure reprehenditur. Eſtq; lata, levis & leviſſima. *Lata* Culpa eſt ſupina negligentia, i. e. non intelligere, qvod omnes intelligunt *l. 213. ff. de V. S.* *Levis eſt* ea negligentia, cum qvis ad modum frugi Patrisfamilias curam rebus non adhibet. *Leviſſima*, cum inſtar diligentisſimi Patrisfamiliâs providus non eſt. *Caſus* verò fortuitus eſt vis major, & damnum fatale, cui humanitùs reſiſti neqvit. Ad fundandam igitur Legis Aqvilæ Actionem culpa accedat neceſſe eſt; dolus non ſemper: qvod ſpeciale eſt in hoc Delicto. Hinc & infirmitas, imperitia & qvævis incurioſitas, ex qvâ damnum eſt datũ, locum huic Actioni faciunt. §. *4. & ſeq. I. h. T.* Cur verò ad conſtituendum hoc Delictum non ſemper dolus exigatur, cauſſam putamus eſſe, qvia hæc Actio non reverâ ad pœnam aliqvam, ſed ſaltem ad intereſſe perſeqvendum comparata eſt. *Bachov. ad §. Injuria, I. h. T.*

POSITIO XV.

Primò Capite Legis Aqviliæ agitur de alienô Servo, Qvadrupedevè pecude occiſâ.

Ob ſublatum Romanæ Servitutis Jus modicam hoc caput, qvoad Servos, habet utilitatem. Neq; enim ob liberum hominem hæc Actio datur: qvia in Aqviliam id tantùm inducitur, qvod æſtimari poteſt; liberi verò hominis nulla eſt æſtimatio. *l. 13. ff. ad L. Aq.* Non tamen utilis Actio Heredibus occiſi deneganda, *arg. d. l. 13.* qvâ qvidem non ad æſtimationẽ Corporis occiſi; (illud enim inæſtimabile:) ſed ad impẽdia in Medicos facta, & lucrũ interverſi, aut damnũ per cædem datum agere poſſunt. *Weſenb. P. h. T. n. 7.* Jure Saxonicô cum pleraq; animalia habeant expres-

preſſum *Wergeldum*, occidens Injuriâ Qvadrupedem ſolvendo illud liberatur. LandR. *l.3. A. 48. pr.* Caput ſecundum Legis Aqviliæ, cum in Uſu eſſe deſierit, an de interceptâ utilitate, an de pauperie, an de Servo corruptô fuerit, non multûm laborabimus, cum ſine magnô detrimentô hæc ignorentur. *Weſenb. ad* §. *4. I. de Obl. qvæ ex del. naſc.*

POSITIO XVI.

Tertio Capite Legis Aqviliæ de cæterô damnô agitur, ut, non qvanti in eò Annò, ſed qvanti in diebus triginta proximis Res fuerit, teneatur, qvi damnum dedit.

Cur primô, qvam tertiô Capite gravior ſancita ſit Pœna, an, qvod gravius delinqvat, qvi occidit, qvàm qvi vulnerat & lædit; an, qvod in Servô dignitatis humanæ ratio habeatur, indagatu eſt difficile. Æſtimatur verò hoc Capite non tantùm Corpus, vel damnum in eô datum; ſed omne id, qvod ullô modô noſtra intereſt. §. *10. I. h.T.* & æſtimatur ex communi Sententiâ, non ex ſingulari affectione, *l.33. ff. ad L. Aqvil.* Qvid de jure Sax. obtineat, vide *ap.* Schultz. *Synopſ. I. h. t. lit. c.*

POSITIO XVII.

Qvi per Dolum, vel culpam levem & leviſſimam damnum dedit, Legis Aqviliæ actione conveniri poteſt.

Ubi igitur Dolus vel Culpa abeſt, delictum hoc non committitur. Proindè ſi Navis fune ruptô, aut cum à nullo regeretur, incurrendo damnum dederit, Aqviliâ Dominus non tenetur. *l. 29. §. 2. ff. h. T.* Nec, *qvi Incendii arcendi gratiâ vicinas ædes intercidit*, ad damnum reſarciendum tenetur, cum illum juſtiſſimus metus concitavit. *l. 49. §. 1. ff. h. T. Damnum* verò vicinis ex combuſtione *illatum ille reſarciet, ex cujus ædibus* Incen-

duim

dium eſt *ortum*, modò ipſius Culpâ id evenerit, vel eorum, qvorum is præſtare culpam tenetur: qvod probabit Actor. *Hœnon. Diſp. Inſt.18. Th.23.* Neq; etiam Aqviliâ tenetur, *qvi Latronem Inſidiatorem occiderit*, utiq; ſi aliter periculum effugere non potuerit, §. *2. I. b. T.* Moderamen igitur inculpatæ Tutelæ excedit, qvi, cum fugâ ſibi conſulere poſſit, adverſarium interficit, *l. 5. pr. ff. ad L. Aqvil. Frantzk. Ex. 12. q. 5. n. 22.* De Moderamine, qvod in ordine Actuum, modo, tempore & cauſsâ conſiſtit, *vid. Schneid. ad §. 1. I. de I. N. G. & C. n. 15.* Hinc manifeſtum evadit, *Duella* non eſſe licita. Qvoad *provocantem* res clara, cũ ipſe nõ invadatur: qvi, ſi læſerit vel occiderit provocatum, pœnâ Legis Corneliæ tenebitur, *arg. l. 1. §. 11. ff. ſi qvadr. paup. fec.* Cum *provocatò* licet mitius agatur, non tamen prorſus impune fert hoc duellum, ſed extraordinaria Pœnâ pro Judicis arbitrio afficitur: cum ex Injuriâ illatâ fruſtra Metum Infamiæ obtendat: Non enim Juris Infamiâ afficitur, ſiqvidem hanc Delicti perpetratio cauſſatur; nec Facti, qvia opinione prudentum nihil maculæ per hanc Injuriam illius Famæ aſpergitur. *Frantzk. Exec. 12. addit. ad q. 6.* Non tamen *Judex per imperitiam malè judicans* hâc Aqviliæ Actione conveniri poteſt, *pr. I. de Obl. qvæ qv. ex del.* Secus, ut *Medicus* ægroto perperam medicamenta propinans, *§. 7. I. b. T.* Judex enim neq; in Corpus damnum dat, neq; ſpontè judicat, tanqvam Artis peritiam profitendo. *Foman. D. 26. Th. 4. Lit. e.*

POSITIO XVIII.

Actione Legis Aqviliæ Damnum Injuriâ datum vindicatur tam Civiliter; Actione directâ, utili, & in factum Prætoriâ; qvàm Criminaliter.

Directa Legis Aqviliæ Actio ex apertâ Legis Sententiâ

tià deſcendens contra eum eſt, qvi corpore ſuô damnum dedit, §. *fin. I. h. T. Utilis*, qvæ ex Interpretatione ſaltem Legis, æqvitate ſic ſvadente, deducitur, contra eum, qvi cauſſam damni vel interitûs præbuit, ut declaratur Exemplis *d.* §. *fin.* adductis. His deficientibus, Prætor ex ſuâ ICtione *Prætoriam in Factum* conſtituit, *l. 11. ff. de præſcr. Verb.* qvæ tanqvam extremum Juris noſtri perſeqvendi remedium tùm competit, qvando nec Corpore damnum eſt datum, neq; Corpus læſum, ſed alio modô damnum contigit: veluti, ſi qvis miſericordiâ ductus alienum ſervum compeditum ſolvit, ut fugeret, *l. 7. §. 7. ff. de dol. mal.* Datur autem Legis Aqviliæ Actio contra confitentem in ſimplum, contra inficiantem in duplum, *l. 23. §. 10. ff. h. t.* ideoq; cum pœnalis eſſe videatur, regulariter in heredes non tranſit, §. *9. I. h. t. Ludwel, Diſp. 15. Th. 5. Lit. f.* Et his Juris remediis Damnum Civiliter ulciſcimur. *Criminaliter* verò hanc Actionem qvoq; intentari poſſe, nobis indubitati Juris eſt, cum ex qvovis privatô delicto criminaliter agi posſit, *l. fin ff. de priv. Del. l. fin. ff. de Furt.* Neq; præjudicium Legi Corneliæ fit, ſi prius Aqviliâ agatur *l. 23. §. 9. ff. ad L. Aqvil. Ludw. d. l. Lit. i.*

POSITIO XIX.

INJURIA eſt Delictum, dolò in contumeliam alterius commiſſum.

Vocem Injuriæ ambiguam eſſe, apparet ex pr. I. de Inj. Ne verò eadem hic errorem qvendam generet, accipimus pro Injuriâ, qvâ contumelia denotatur, *d. pr.* Et ita hoc Delictum ſpecie differt â præcedente: qvamvis fortè, ſi Philoſophorum Regulas obſervare velimus, ſpecies verè oppoſitæ non erunt. Facere hîc non poſſumus, qvin judicioſisſimi *Bachovii* hâc de re Judicium apponamus, qvi *Diſp. VII. de Act. Th. 1.* *Mihi*, inqvit, *qvod ſæpè profeſſus ſum*

C *ſemper,*

ſemper ii diſplicuerunt, qvi Jurisprudentiam noſtram Romanam ita tractant, tanqvam in Diſciplinis neceſſariis, & ſcientiis qvæ circa res eodem modò ſe habentes occupatæ ſunt, verſarentur, & neſcio qvas minutias conſectando hoc efficiant, ut nimium ſapiendo nihil intelligere videantur. Et fruſtra ſunt, qvi præter Mentem ICtorum in Definitiones & Diviſiones ab iis traditas nimis accuratè inqvirunt, & ſpecies accuratè oppoſitas reqvirunt, cum ſæpè in hâc Diſciplinâ noſtrâ pleraq; inter ſe diſtincta Membra non ſpecierum, ſed Graduum oppoſitionem habeant. Hæc ille. Definitioni poſitæ, cum in ſubſeqvis declaretur, pluribus hic lucem præferre ſupervacaneum.

POSITIO XX.

Injuria ex Affectu & voluntate facientis conſiſtit.

Affectum illum ex qvovis verbo aut factô injurioſô præſumimus, niſi contrarium probetur, *l. 5. C. de Inj.* niſi ſit Perſona conjuncta, in qvâ emendandi Animus præſumitur, *l. 5. §. f. ff. ad L. Aq.* aliàs, ſi verbum ſui Naturâ vel moribus injurioſum non ſit, Actori incumbit probatio. *l. 2. ff. de Probat.* *Brutum* Animal Injuriam non facit, qvia ſenſu caret, *l. 1. §. 3. ff. ſi qvadr. paup. fec.* nec *furioſus* aut *Impubes*, qvia Doli capax non eſt, *l. 3. §. 1. ff. h. T.* Qvibus *Prodigus* malè adjungitur, cum tantùm qvoad Bona, in qvibus furioſum facit exitum, cum furente conferatur, *l. 1. §. fin. ff. de Tut. & Curat.* *Frantzk. Diſp. de Oblig. Th. 2. Can. 1. n. 14.* *Iratum* & *ebrium*, ſi Injuriâ qvem oneraverint, excuſandos arbitramur, modò pœnitentia pòſt accedat, & ſit Ira juſta, & Ebrietas non affectata, ſed qvæ Mentis exilium inducat. *l. 48. ff. de R. J.* *Reink. de Reg. S. & E. 2. 1. 8. 47.* *Weſenb. P. ff. h. T. n. 4.* *Errans* autem non excuſatur, cum prævaleat, qvod principale eſt, *l. 18. §. 3. ff. de Inj.*

Poſi-

POSITIO XXI.

Proſcinditur Injuriis Fama, Corpus, Dignitas.

Injuria enim committitur non ſolùm, cum qvis pugnô pulſatur; ſed & ſi cui convicium factum fuerit, §. *1.I.h.T.* ſi Pudicitia alicujus attentetur, *l. 10. ff. h. T.* aut Matronæ comes abducatur *l. 15. §. 15. ff. h. T.* non, ſi ancillari veſte veſtitas virgines qvis appellaſſet, *d. l.* Notandum hic, aliud eſſe dignitatem alicujus appetere, aliud Famam lædere. Dignitas ad Statum civilem; Fama ad naturalem & mores refertur. *Foman. Diſp. 27. Th. XI.*

POSITIO XXII.

Qvi injuriandi Animum habet, Re aut Verbis infert Injuriam.

Realis Injuria eſt, cum factô qvis Injuriâ afficitur §. *1. I. h. t.* idq; vel *in corpore*, vel *extra Corpus.* In Corpus vel *ſuum*, verberando & pulſando, *l. 3. §. 1. ff. h. T.* etiam manûs adverſus qvem levando, *l. 15. §. 1. ff. h. T.* aut barbam vel capillos alicujus expilando, *pr. verſ. ſi qvis aliqvem, 2. F. 27.* vel *alienum:* Mediatè enim & per conſeqventiam violamur, dum Uxores vel Liberi in ſacris paternis conſtituti contumeliâ afficiuntur. §. *2. I. de Inj.* & ibi *Harpr. n. 4.* Ob Famulos hodiè non aliter nobis competit Actio, qvàm ſi in noſtram contumeliam injurioſè fuerint tractati. *Schneid. ad* §. *6. I. de Inj. n. 2.* *Extra Corpus* contemnimur, cum habitu, geſtu, vel aliô modô deſpectui habemur §. *8. I. l. 15. §. 27. & 31. ff. de Inj. l. 5. §. 1. ff. de his qvi Satisd. cog.* *Verbalis Injuria* eſt, qvando convicium alicui objicitur, *l. 5. C. de Inj.* Et naſcitur vel Loqvelæ vel Scripturæ reſpectu. Ad *Loqvelam* pertinet, cum qvis alteri reſpondet, *Tu mentiris*, etiam ſub honoris præfatione; hæc enim proteſtatio Actui contraria nihil operatur, *arg. l. 21. ff. de acqv. vel amitt. hered. Arum. Ex. 17. Th. 16.* Item,

ſi qvis alteri Crimen commiſſum objiciat: cum Injuriam neq; convitii veritas tollat neq; Autoris allegatio, nec mandatum alterius. Etſi enim interſit Reipublicæ Delicta propalari; non tamen licitum eſt ei, qvi in rixam inconſultò calore prolapſus eſt, Crimen aliqvod objicere, *l. 5. C. de Inj.* cum non objiciat, ut Crimen puniatur, ſed ut libidinem ſuam convitiandi exſaturet. Et qvi allegat Autorem, eô ipsô, dum propalavit, Injuriam fecit ſuam. *arg. l. un. C. de fam. lib.* Nec mandatarius culpâ vacuus, cum & is teneatur, qvi procuravit, ut cui Mala pugnô percuteretur, *§. 11. I. de Inj.* *Excellentiſſ. Dn. Præſes velit. 15. Th. 9.* *Contra Teſtes* verò *excipiens*, qvod ſint falſarii, infames, vel aliô modô turpes, injuriandi animum habere non cenſetur, cum potius Juris ſuî ſeq; defendendi gratiâ id faciat; ſi præſertim proteſtationem certis conjecturis fulcitam adjiciat; Maximè, ſi capitis aut famæ accuſetur: ignoſcendũ enim ei eſt qvi ſangvinẽ ſuũ qvaliter qvaliter redemtũ voluit. *Arum. Ex. 17. Th. 18. Fachin. l. 9. contr. 13.* Et hanc verbalem Injuriam verbaliter *retorqvere* conceſſum eſt: qvia vim atq; Injuriam propulſare licet. *l. 3. ff. de I. & I.* cumq; viro bono non minor ex Famæ, qvam corporis imminutione, dolor exſurgat, ferendus erit, pudorem ſuum qvali qvali modò purgans. *l. 25. ff. de Proc. Gail Libr. 2. Obſ. 100. Riem. Dec. 12. q. 8. Harprecht pluribus hoc Tit. à n. 90.* Scripturæ reſpectu verbalis infertur Injuria per *famoſum Libellum*, ad infamiam alterius editum, (qvi tamen ab Injuriâ ſcriptâ differt) isq; tàm deteſtabilis, ut & inveniens eundemq; divulgans eâdem, qvâ Autor, pœnâ afficiatur. De qvô plura *Excell. Dn. Præſ. Vel. 15. Th. 13.*

POSITIO XXIII.

Qvi injuriando alterius Corpus vel Famam læſit, pulſari

pulſari poteſt Actione Injuriarum civili & criminali.

Dicitur Actio civilis, non ratione cauſſæ efficientis, cum ſit Prætoria; ſed oppoſitivè qvatenus contradiſtingvitur criminali, per qvam petit Actor Injuriæ æſtimationem ſibi adjudicari, §. 7. *I. h. T.* Uſu etiam invaluit actio ad *Palinodiam*, qvâ agitur ad revocationem ejus, qvod injurioſè dictum eſt: qvæ itidem civilis eſt, cum non agatur ad aliqvam Pœnam corporalem, vel Fiſco applicandam, ſed ad ſolam Recantationem. *Bronch. Cent. 2. Miſ. aſſ. 58. Hænon. Diſp. 18. Th. 33.* Qvæ tamen pro Stylô Curiarum Provincialium, & aliàs pro ratione Circumſtantiarum in *Deprecationem* (eine Chriſtliche Abbit/ oder Erklärung) commutari ſolet. *Excell. Dn. Præſ. Vel. 15. Th. 12.* Criminalis hæc Actio eſt, qvando Injuriâ affectus Reum in Corpore puniri, vel pœnam pecuniariam Fiſco inferri petit. *l. fin. ff. de Inj.* Qvæ Pœna pro atrocitate Delicti & Circumſtantiarum varietate etiam ad ultimum ſupplicium extendi poteſt, ſi præſertim realis illata ſit Injuria. *Kiemer. Dec. ult. q. 9.* Sive autem civiliter, ſive criminaliter experiamur, condemnatum ſemper Infamia manet, *l. 1. l. 4. §. fin. ff. de his qvi not. inf.* exceptis qvibusdam caſibus, qvos annotavit *Weſenbec. in Parat. ff. de his qvi not. inf. n. 9.*

POSITO XXIV. & ult.

Aboletur Injuriarum Actio Præſcriptione, Diſſimulatione, Familiaritate, Morte.

Injuriarum Actionem annuô ſpatio finiri, conſtat *ex l. 5. C. de Inj.* & qvidem utili; qvi à die ſcientiæ currit, *l. 14. §. 2. ff. qvod met. ca.* Qvod intelligendum de Prætoria; cum civilis ex Lege Corneliâ 30. Annos duret. *Bronch. Cent. 4. Aſſ. 78. Facbin. Lib. 9. C. 7.* Diſſimulatur Injuria,

cum

cum derelinqvitur. Remiſſa autem ſemel per pœnitentiam reſuſcitari neqvit. §. *fin. I. de Inj. l. 11. §. 1. ff. eod.* Remiſiſſe qvoq; Injuriam videtur, qvi cum Injuriante familiariter converſatur, comedit, bibit: niſi; id faciat honeſtatis cauſsâ, & Jure, ut vocant, aulico, (auff Hoff-Recht) citra ullum Injuriæ præjudicium. *Bachov. ad §. 5. I. de Inj. Vultej. ad §. fin. eod. Schneid. ib. n. 3.* Non tamen per Uſum S. Cœnæ hujus Actionis perſecutio ſufflaminatur, cum Chriſtiano homini Injuriarum agere nullibi ſit interdictum, modò rancor Animi deponatur, & Germanorum obſervetur Proverbium: Der Perſon Freund / der Sachen Feind. Mors ut omnia ſolvit, *Nov. 22. c. 20. in pr.* ita & injuriantis & injuriati mortes hanc Actionem extingvunt Proindè neq; Heredi, neq; in Heredem datur. *l. 13. pr. ff. h. T.* Vid. *Harpr. ad §. 12. Schneid. ad §. fin. h. T. Weſenb. ff. hîc, Foman. Diſp. 27. Th. 17.*

EXPLICIT.

ADDITIO GEMINA.

SCto Macedoniano Filiusfamilias ne qvidem Juramento renuntiare poteſt.

Qvia ſæpè Filiifam. onerati ære alienô creditarum pecuniarum, qvas in luxuriam conſumebant, Vitæ Parentum inſidiabantur, §. 7. *Inſt. qvod cum eò qvi in al. pot.* Reipublicæ verò interſit maximè, ne materia peccandi malis moribus præſtetur, *l. 1. ff. de SCt. Maced.* meritò Senatus Filio Patriq; proſpecturus, odio fœneratorum hanc Exceptionem ipſis conceſſit. Cui beneficio, cum ſolius filiifam. commodum non concernat, nec ſolus renuntiare poterit: atq;, ſi fortè renuntiet, nullas renuntiatio habebit vires; ſiqvidem privatorum pactis Juri publico derogari neqvit, *l. 38. ff. de pact.* Qvid? qvod aperta Legi fraus fieret, ſi creditor à filiofam. renuntiationem impetrare poſſet: ita enim,

nim, qvod unâ viâ prohibitum eſt, alterâ concederetur. Et iſta Exceptio tam firmô conſiſtit talô, ut etiamſi contractus ille Juramentô fuerit corroboratus; nihilominus ſit invalidus: cum factum lege ſervari prohibitum Sacramento firmari neqveat, *l. 5. in f. C. de ll.* &, qvæ contra bonos mores ſunt, publicæq; utilitati repugnant, nec facere nos poſſe credendum eſt. *l. 15. ff. de Cond. Inſt. Harpr. Inſt. qvod cum eo qvi in al. §. 7. Arum. Exerc. 19. Th. 8.*

Fœmina in Teſtamentô tempore peſtis condito poteſt eſſe Teſtis.

Axioma Juridicum eſt: Qvando in probatione alicujus Actus non poſſunt haberi teſtes idonei habitu nec actu, admittuntur teſtes minus idonei in ſubſidium, *arg. c. fin. X. de teſtib. cog.* ubi ſocii & criminis participes poſtulantur teſtes ad revelandam conjurationem: qvi tamen aliàs à teſtimonii dictione repelluntur. l. 11. C. de teſtib. Sed, cum tempore Peſtis utplurimùm exiguus hominum numerus ſit, aut ſi eſſent aliqvot, copia tamen eos conveniendi deficeret, admittenda utiq; fœmina. Deindè fœmina ad Teſtimonium in Judicio Criminali dicendum, Jus habet, *l. 18. ff. de teſtib.* cum tamen major habilitas exigatur in teſte deponente teſtimonium in cauſſâ criminali, qvam in Teſtamento; ſiqvidem major 14. annis in teſtamento rectè fert Teſtimonium, *l. 21. in pr. C. de Teſtam.* in cauſſâ criminali non item. *l. 20. ff. de Teſtib.* Adde, qvod Wittebergenſes *(referente Mollero ad Conſt. 4. p. 3. n. 6.)* ad conſultationem Martini Bluen / 14. Octobr. Anno 1585. pro mulieribus reſponderint. Qvod ſi igitur duæ vel tres ſolæ mulieres firmant Teſtamentum tempore peſtili conditum; qvantò magis mulier qvæ Viris Teſtis immiſcetur: qvem caſum nos tractamus. *Vid. Crot. Tract. de Teſt. part. 1. n. 21. p. 181.*

Ad præſtantisſimum Dn. Reſponden-
tem Diſputationis Au-
torem.

Q Vò genius melior, qvò Te pia vota Parentum
Currentem rapiunt, hûc te dilecte NEANDER
Infer, & in Cathedrâ te ſiſte, objecta reſolve
Et Patriæ tandem civem te redde politum!

deproperab.

GOTTFRID SVEVUS
Leor. Siles. U.J.D. & P.P.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.